

Chrisma prohibentur vendi, quia, cum materia sit exigui pretii, benedictio potius, quam materia censeretur vendi.—*Ad IV. S. D.* loquitur pro casu, quo vasa sacra vendenda sunt ad usum profanum *pro necessitate Ecclesiae et pauperum*; et tunc omnino confringenda sunt.—*Ad V. N. C.* Nam prae-benda, ut quid accessorium, auctoritate papali annectitur officio spirituali ut principali, ejusque conditionem sequitur, ut nisi per Papam separaretur ab officio spirituali, citra simoniam vendi non possit; e contra materia calicis et similium rerum, est quid principale, cui consecratio vel benedictio accessorie supervenit; et consequenter materia vendi potest, quam accessorie sequetur benedictio, sicut venditionem castri accessorie sequitur jus patronatus ei annexum.

3.º Jus patronatus seorsim et per se vendi non potest citra simoniam juris naturalis: ita com. contra Sot., Sylv., Navar. docentes esse simoniam juris Ecclesiastici. Nam jus patronatus, vel est spirituale formaliter, vel saltem connexive antecederet, quatenus ordinatur ad collationem officii spiritualis, neque per se aliquam materiam habet pretio aestimabilem; ergo si vendatur, venditur quid spirituale, et hoc irreverenter tractatur seu violatur, in quo consistit simonia juris naturalis.

Dices: I. Jus patronatus est inventum Ecclesiae, et sequitur naturam patrimonii profani, transeundo ad haeredes et emptores.—II. Ex jure patronatus non fluit actio spiritualis, neque praesentato tribuit aliquod jus spirituale.

R. Ad I. D. A. Est inventum sacrum, sicut novitiatus, prima tonsura etc., *C. A.* Profanum, *N. A.* Quod jus patronatus transmitatur ad haeredes, et emptores loci, cui simile jus est annexum, id oritur ex generali privilegio juris habilitantis laicos ad possedendum hoc jus spirituale.—*Ad II.* Praesentatio est actio spiritualis connexive et tribuit jus saltem remotum, ut praesentatus, si idoneus est, necessario institui debeat.

4.º Praebenda seu beneficium, ut est jus percipiendi fructus temporales, non potest vendi citra simoniam juris naturalis: ita Abb., Covar., Gonz., Schmier., Schmalz. contra Gloss. *cap. 12. de Off. Deleg. v. dimittere*, Nav., Clar., Zoes et alios, volentes esse simoniam tantum juris Ecclesiastici. *Prob. ex Canonibus causae 1. q. 3.*, ubi clare colligitur simoniam istam esse juris naturalis. Nam *Can. 8. ibid.* Urbanus II. eam damnat his verbis: *pecunia tua tecum sit in perditionem, eo Actor. 8. v. 19.*; item *seq. Can. 9.* venditores praebendarum tanquam nummularii comparantur venditoribus columbarum, qui *sacram manus impositionem vendere conantur*; et infra dicuntur esse *divinorum praeceptorum immemores*; et *Can. 14. ibid.* Paschalis II. ait: *Altare et decimas per pecuniam dare, et Spiritum Sanctum vendere, simoniacam haeresim esse nullus fidelium ignorat*, ubi nomine altaris venit praebenda ex doctrina *Can. 4. ibid.*; imò, si decimas vendere est simoniaca haeresis, multo magis vendere praebendam erit haeresis simoniaca. Huc faciunt pluri-

mi textus, *cap. 6. et fin. de pact., cap. 4. 7. de transact., cap. 15. 34. hoc tit.*, ex quibus sanè plus colligitur, quam simonia juris Ecclesiastici. Ratio est, quia simonia juris naturalis, est violatio rei sacrae per venditionem; sed praebenda, quatenus auctoritate papali annexa juri seu officio spirituali, est res sacra, saltem connexive, et tanquam accessorium sequitur naturam officii spiritualis; ergo si vendatur, violatur res sacra, et consequenter fit simonia juris naturalis. Unde *Can. 7. si quis 1. q. 3.* de tali venditione dicitur: *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.* Idem dic de capellanis, commendis, pensionibus auctoritate Episcopi constitutis et officio spirituali annexis. Si tamen à principali Rectore pensiones annuatim sint solvendae pensionario, ad munus spirituale obligato, probabile est, eas redimi posse per anticipatam solutionem, cum hic detur temporale pro temporali, seu pro immunitate à solvendis annuis pensionibus, licet tutius sit, ut redemptio ista fiat cum licentia Papae.

Dices: I. Papa vendere potest praebendam sine simonia; ergo haec non est juris naturalis.—II. Creatio et annexio praebendarum facta est jure Can.; ergo venditio illarum est tantum contra jus Can.—III. Sic se habet praebenda ad officium spirituale, sicut villa vel castrum ad jus patronatus; nam utrobique unum est annexum alteri; sed vendi potest villa sine simonia juris naturalis; ergo et praebenda.

R. Ad I. Si Papa jus praebendae separaret ab officio spirituali, jus istud, utpotè merè temporale, vendi potest absque ulla simonia: nullus autem Papa inferior haec duo jura separare potest.—*Ad II. C. A.* saltem quoad formam et determinationem, et *N. C.* Nam supposita institutione et annexione praebendae, venditio illius contrariatur juri naturali, sicut supposita institutione novitiatus vel primae tonsurae, jam venditio similium juri naturali est adversa.—*Ad III.* Est disparitas; nam villa est quid principale, cui accessorie unitur jus patronatus et consequenter manet venalis: e contra praebenda est quid accessorium officii, ejusque naturam sequitur; ergo sicut officium vendi nequit, ita nec praebenda, ut supra dixi.

Ex his facile resolves particulares quaestiones de aliis rebus et actionibus spiritualibus, de quibus consule Laym. *l. 4. tr. 10. c. fin. §. 4.* et 5., et praeter ceteris *S. D. 2. 2. q. 100. a. 2. 3. 4.*

§. III.

De pretio simoniaco.

28. *Nota*, munus hic non accipi pro dono liberali, sed pro aliquo ex justitia commutativa debito; qualiter etiam onera ex justitia debita dicuntur *munera* tit. ff. *de munerib.* Hoc sensu *munus* est triplex:—1.º *Munus à manu*, per quod intelligitur pecunia late sumpta pro omni re

mobili vel immobili in alterum transferibili.—2.^o *Munus ab obsequio*, quod est servitium temporale ex justitia præstandum, ut famulari, negotia gerere, scribere etc.—3.^o *Munus à lingua*, quod est omne genus precum temporalium, laudum, commendationum, quatenus hæc ex obligatione fiunt ad obtinendum spirituale, vel ad compensandum pro illo obtento. Insinuatur hæc divisio *Can. 113. Ordinationes l. q. 1.* et *Can. 8. Salvator. l. q. 3.* ibi: *ideo* etc., et traditur à S. D. 2. 2. q. 100. art. 6. in corp.

29. Q. I. *An munus ab obsequio et lingua constituat materiam seu pretium simoniæ?*

R. 1.^o Affirmativè, dummodò munus istud præstetur ex debito seu ex obligatione justitiæ, ut intuitu illius detur spirituale, vel quia datum est spirituale pro tali munere præstito vi pacti expressi aut taciti; nam sicut munus à manu, ità quoque munus ab obsequio et lingua est temporale et pretio æstimabile; ergò si fiat ex pacto et obligatione justitiæ pro aliquo spirituali, vim habet pretii simoniaci, quo spirituale emitur. Unde:—I. Simonia est servire Episcopo sine salario, vel cum modico salario, cum expresso vel tacito pacto, ut loco salarii beneficium servienti conferatur. At si serviat gratis, vel sub spe obtinendi beneficium, nolendo tamen ex justitia Episcopum vel patronum obligare, per se loquendo non est simonia, cum non præstetur munus ab obsequio, ut intuitu illius ex justitia detur beneficium. Est tamen hoc periculosum, præsertim ante collationem beneficii: tum quia in foro externo speciem simoniæ præsefert et scandalum generat; tum quia inducit in peccatum acceptionis personarum; tum quia servitia gratuita, sicut munera, plerumque excecant, et degenerando in obligationem justitiæ, simoniam secum trahunt.—II. Simonia est offerre preces vel commendationes, v. g. laudabo, vel commendabo te apud principem, si mihi, vel huic meo clienti beneficium, vel in electione suffragium dederis: vel contrà, do tibi beneficium et suffragium, ut me apud principem commendes, vel pro me præces interponas, et sic de aliis in particulari.

2.^o Dare spirituale propter causam temporalem, nulla intercedente obligatione justitiæ, non est simonia: ità com. cum S. D. 2. 2. q. 100. a. 5. ad. 2. Nam simonia fundatur in contractu emptionis et venditionis, seu ut spirituale pro temporali; vel econtrà, detur per modum commutativæ compensationis ex justitia; ergò. Unde:—I. Non est simonia, si quis alicui conferat beneficium intuitu consanguinitatis, amicitiae, familiaritatis; quia confert gratis, nec aliquam compensationem petit ex parte collatarii. Ex alio tamen capite, si consanguineus sit indignus, reprobatur talis collatio (*cap. unic. ut Eccl. benefc.*) At si aliquis dat beneficium Ecclesiasticum alicui hoc pacto, ut exinde suis consanguineis provideat, est manifesta simonia (S. D. loc. cit.); nam sic dando, imponit collatario obligationem justitiæ compensativam collationis.—II. Qui pro se interponit preces, commendationes, adulationes, ut obtineat beneficium, et collator vel patronus ad has preces con-

fert illud, neuter simoniam committit: ità com. Nam collatio est gratuita, non verò ex justitia compensativa precum vel adulationum.—Nec obstat *Can. 113. Ordinationes l. quæst. 1.*; siquidem collatio ad preces facta tunc est simoniaca, quando preces per illam emuntur, modo ante dicto; secùs si preces sint tantum causa impulsiva ad collationem (*c. 34. h. t. Can. 121. et seqq. l. q. 1.*) At si collator daret beneficium, ut collatarius obligaretur ei facere jocos, vel comparere ad colludendum, aperta foret simonia.—III. Qui propter preces armatas, seu metum injustè incussum, dat beneficium, non est simoniacus; nam beneficium gratis datur, tanquam medium ad tollendam vexationem. At si collator metum incutienti imponeret novam obligationem justitiæ, v. g. ut in posterum semper cesset ab injusta vexatione, collatio foret simoniaca.—IV. Qui dat beneficium debitori, metu amittendi debitum, non est simoniacus, quia illud gratis dat: at si apponat pactum securitatis, seu conditionem, ut beneficiatus debitum solvat, simoniaca est collatio propter novam obligationem.—V. Qui dat temporale gratis, attamen sub conditione contractum reciprocum non inferente, non est simoniacus: ut si puella promittat dotem sub conditione, si religionem professã fuerit, vel si legentur centum, ut anniversarium celebretur etc.

30. Q. II. *An, et quando spirituale datum pro spirituali, habeat rationem pretii simoniaci?*

R. 1.^o Regulariter loquendo, non habet, nisi beneficium commutetur pro beneficio absque consensu legitimi superioris: quo casu est simonia juris Ecclesiastici (*cap. 5. 7. de rer. permut.*)—2.^o Si imponatur onus quod de jure inest, non est simonia, v. g. confero tibi beneficium, ut alterum incompatible resignes, vel ut solvas debita ratione prælaturæ contracta: at si imponatur onus, quod de jure non inest, est simonia propter novam obligationem pretio æstimabilem: v. g. confero tibi beneficium, ut alterum resignes compatibile, ut solvas expensas, quas ratione personæ suæ vel litis, fecit prior beneficiatus. At si collato beneficio, Papa gravet beneficiatum ad solvenda debita priora, non est simonia; quia gravamen istud non descendit ex contractu, sed ex voluntate et jurisdictione Papæ.

31. Q. III. *An redemptio injusta vexæ per dationem temporalis sit simoniaca?*

R. 1.^o Si vexatio superveniat juri jam plenè quæsito in prælatura aut beneficio, non est simonia vexationem istam pecunia redimere (*Can. 4. quæsitum l. q. 3. et cap. 18. hoc. tit.*); nam tali casu non datur temporale pro spirituali, sed pro temporali; cum cessatio seu omissio injustæ vexationis sit merè quid temporale: ut si quis Episcopum confirmatum injustè vellet vexare, poterit ei dari pecunia, ut removeatur impedimentum injustæ vexationis. Quod procedit etiam in casu, quo Episcopus confirmatus necdum adeptus est possessionem; quia possessio ista es tantum facti; adeoque si quis ab ea impediatur injustè, poterit impedimentum pecunia remove. At si vexatio est justa,

v. g. propter dubium legitimæ electionis, vel si jus in prælatura necdum sit plenè quæsitum, non licet eam pecunia redimere; quia hoc modo per pecuniam deveniretur ad prælaturam: imò si fieri potest, vexationes injustæ semper officio judicis elidendæ sunt.

2.º Si vexatio antecedit electionem seu acquisitionem prælaturæ aut beneficii, regulariter non licet eam pecunia redimere; S. D. 2. 2. q. 100. a. 1. ad 5., ubi rationem reddit; quia talem vexationem removens, *per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam*: sic enim dans pecuniam Canonico electori, ne eum vexet, virtualiter et primario intendit electionem sui (*cap. 13. hoc tit.*).—II. Si vexatio immineat ab extraneo, ut quia is vult tibi nocere per sinistras relationes, discommendationes et persuasiones malignas, redimendo talem vexationem pecunia, non committis simoniam, etsi vexator esset capitularis, volens te apud alios coelectores denigrare et discommendare; nam quisque jus quæsitum habet, ne sinistrè apud alios discommendetur; quo casu redimendo vexationem, non facit sibi viam expeditiorem ad electionem, sed præcisè impedit viam duriorem injustè causandam.—III. Si detur pecunia electoribus, ne eligant indignum, determinando personam dignioris eligendi, committitur simonia, quia obligatio hujus pecuniæ reipsà influit in electionem dignioris. At si persona dignior nulla determinetur, speculativè loquendo, nulla est simonia, quia pecunia datur pro temporali, seu pro remotione indigni. Sed quia modus iste periculosus est, et plerùmque palliatam habet simoniam, ideo ab illo abstinendum, et electio indigni alio modo impedienda est; putà per recursum ad superiorem.

32. Q. IV. *An sub materia simoniæ contineantur annatæ?*

Nota, annatas esse certas pensiones, quæ ex episcopatu aliorumque beneficiorum fructibus primi anni solvuntur Camera apostolicæ. Harum quatuor sunt species:—1.º *Annata* specificè, quæ sunt dimidia pars fructuum primi anni, obveniens soli Papæ ex beneficiis inferioribus et regularibus, non consistorialibus, hoc est, quæ in Consistorio Papæ non conferuntur; dummodò redditus anni excedant 24 aureos. In Germania, Gallia et Hispania ex Canonicatibus et beneficiis aliis nullæ annatæ solvuntur; quia ex moderamine Sedis Apostolicæ taxantur ad 24 aureos, licet reipsà mille vel plura millia aureorum inferant.—2.º *Communia servitia*, quæ communiter obveniunt Papæ et Cardinalibus, his dimidium, et illi dimidium, et dantur ex prælaturis consistorialibus seu collatis in Consistorio Papæ, rogatis Cardinalium suffragiis. Tales in Germania sunt Archiepiscopatus, Episcopatus, prælaturæ tam sæculares, quàm regulares immediatè Sedi Apostolicæ subjectæ. Et quamvis integri fructus primi anni solvi deberent, fit tamen moderamen, ut vix quinta pars solvatur, dato termino duorum annorum: et si prælatura bis vel pluries eodem anno vacet, non solvitur, nisi una annata ex concord. Germ. §. *placet similiter*.—3.º *Servitia minuta*, quæ sunt minutæ partes annatæ seu certæ portiones dividendæ inter ministros minores Papæ, secundum propor-

tionem taxæ.—4.º *Quindennia*, quæ sunt dimidia pars fructuum unius anni singulis quindecim annis Camera Apostolicæ solvenda ex beneficiis quibusdam unitis, vel specialiter exemptis à communi reservatione beneficiorum: sicut est præpositura Augustana, ex privilegio Alexandri VI. facta electiva.—Vide de his Fagn. c. 1. *præterea*, *Ne prælati vic suas*.

R. Exactio et solutio annatarum non est simoniaca, sed licita, justa et necessaria: ita Cathol. contra Hæret., quam vis in Concil. Basiliens. etiam nonnulli Catholici de honestate harum annatarum disputaverint; nam beneficia conferuntur à Papa gratis; pensiones verò istæ ex multis causis justificantur. Et quidem:—I. Annatæ exiguntur in signum subjectionis erga romanam Ecclesiam, à qua omnes Ecclesiæ, et institutæ sunt, et dependent (*Can. 1. d. 22.*)—II. Exiguntur in subsidium Sedis Apostolicæ, ut hæc pro toto orbe laborans, facilius sustentare possit Cardinales et plurimos alios officiales, quibus indiget ad regimen totius Ecclesiæ; atque ut benè meritos præmiare, et pauperes clericos ad se confluentes sublevare valeat.—III. Exiguntur ad publicas Ecclesiæ necessitates, ut ad bellum contra infideles etc.—Vide *cit. Fagn.*

§. IV.

De pœnis, restitutione et iudice simoniacorum.

33. De pœna æterna, quam meretur gravissimum delictum simoniæ, etiam internæ, hic non agimus: neque de pœna arbitraria, quam iudex imponere potest, ubi jure non est expressa; sed de pœnis à jure latis contra simoniam commissam in *ingressu religionis*, in *collatione Ordinum et provisione beneficiorum*.

34. Q. I. *Quæ simonia habeat pœnas à jure statutas?*

R. 1.º Sola simonia realis et confidentialis: ità com. 1.ª *pars* prob. ex canonibus *causæ 1. quæ 3. cap. 8. 34. 40. etc. h. t. Extrav. 1. et 2. eod. int. com.*, ubi pœnæ istæ statuuntur contra simoniam datione spiritualis pro temporali completam; ergò cùm pœnæ sint odiosæ, extendi non debent ad aliam simoniam: *mentalem cap. fin. h. t.* pro qua sufficit suo satisfacere Creatori: merè *conventionalem*, quia non est perfecta in qualitate traditionis ad pœnas requisitæ; nec ad *conventionalem mixtam* traditione solius pretii temporalis perfectam, quia in ea res spiritualis necdum reipsà irreverenter profanatur; et probabilius neque ad *conventionalem mixtam* traditione solius rei spiritualis completam, quia nisi simonia completa sit traditionis utriusque rei temporalis et spiritualis, non reperitur habere pœnam à jure dictatam.—2.ª *pars* patebit ex Const. Piana alleganda infra. Hic excipe simoniam *conventionalem* in electione Papæ commissam ex Cons. 3. Julii II., ubi etiam promissiones pœnis simoniæ subjiciuntur.

2.^o Pœnæ simoniæ in ingressu religionis sunt:—I. Dantes et recipientes, si personæ sunt singulares, excommunicantur; si capitulum, suspenditur ab officio, non tamen ab Ordine: et utraque hæc pœna reservata est Papæ (*cit. Extrav. h. t.*)—II. Incurrunt infamiam juris, saltē in crimine notorio notorietate juris aut facti (*ibid. §. ceterum*), et consequenter fiunt irregulares.—III. Simoniæ professus detrudendus est in arctius monasterium, nisi cum illo Episcopus dispenset (*ibid. et cap. 5. 40. hoc tit.*) Hæc pœnæ rarò locum habent, quia pro ipso ingressu non solet aliquid peti.

3.^o Pœnæ in collatione Ordinum sunt:—I. Ordinans vel ad Ordines præsentans, excommunicatur ipso facto (*cap. 2. h. t. et cit. Extrav.*), licet delictum sit occultum ex Const. Sixti V. incip. *Sanctum*, quæ quoad pœnas confirmata est per Constitut. Clem. VIII. *Romanum* prid. Cal. Martii 1595.—II. Suspenditur à Collatione Ordinum, et exercitio pontificalium (*ibid. et c. 45. h. t.*)—III. Interdicitur ab ingressu Ecclesiæ; quod interdictum violando, fit irregularis; et à regimine suæ Ecclesiæ et fructuum perceptione suspenditur (*cit. Constit. Sixti V.*)—Eadem proportionaliter pœnas incurrit simoniæ ordinatus, scilicet, excommunicationem, suspensionem ab executione Ordinum, saltē simoniæ susceptorum: et si sæcularis est, privatur officiis et beneficiis; regularis verò voce activa et passiva, cum inhabilitate ad illam (*cit. Constit.*) Excusantur à pœnis, qui ignari per simoniam ordinati sunt (*cap. 22. h. t. Can. 3. præsentium l. g. 5.*) Neque pœnæ istæ extendendæ sunt ad notarios. Excusatur etiam Episcopus ab excommunicatione, si quid spontè oblatum suscepit, quia hanc pœnam non exprimit Trid. *sess. 21. c. 1. de refor.*

4.^o Pœnæ simoniæ in provisione beneficiorum sunt:—I. Obtinentes, dantes et cooperantes ipso facto incurrunt excommunicationem Papæ reservatam (*Extrav. 2. h. t. int. com. S. Pius Constitut. Quam primum.*)—II. Provisio, electio, confirmatio, institutio ipso jure est nulla, ità ut nullum jus, neque titulus coloratus proviso adquiratur; *ibid.*—III. Ità provisos tenetur omnes fructus ex beneficio perceptos restituere *sub animæ suæ periculo*, adeoque ante ullam sententiam judicis; *ibid.*—IV. Ità provisos fit inhabilis ad idem beneficium pro hac vice, etiamsi, eo ignorante, simonia commissa sit (*cap. 17. hoc t. cap. 59. de elect.*), donec per intermediam personam vitium simoniæ purgetur. Si tamen est beneficium simplex, poterit cum illo Episcopus dispensare, dummodò ipse ignarus fuerit simoniæ (*cit. cap. 59. de elect.*); prioribus tamen beneficiis non privatur ipso jure, quamvis per sententiam privari possit (*cap. 21. de accus.*)—V. In virtute S. Obedientiæ præcipitur omnibus, quibus constat, simoniam commissam fuisse in provisionibus, ut eam revelent Papæ, vel ab eo deputato; qui si complices fuerint, veniam criminis et gratiam obtinebunt; secùs nolentes revelare non sunt absolvendi (*cit. Extrav.*)—VI. Hic tamen observa, quòd simonia, ignorante proviso commissa in fraudem ejus, ut scilicet, provisio ejus cassetur, ei non obsit: imò si bona fide obtinuit beneficium fru-

ctus facit suos, sicut alius bonæ fidei possessor, donec bona fides resolvatur per notitiam simoniæ: tunc enim fructus saltem extantes restituere tenetur, nisi per triennem possessionem beneficium præscripsisset, ex regula 36. Cancellariæ de trienn. poss. (*Reiff. hoc tit. §. 11. num. 78.*)

5.^o Pœnæ simoniæ confidentialis sunt:—I. Excommunicatio latae sententiæ reservata Papæ.—II. Interdictum ab ingressu Ecclesiæ, quò tantum prælati stringuntur.—III. Nullitas resignationis et collationis per eam factæ.—IV. Privatio omnium beneficiorum prius obtentorum.—V. Inhabilitas ad idem et alia beneficia.—VI. Beneficium ità simoniæ resignatum reservatur Sedi Apostolicæ, et fructus malè percepti applicantur ejus Camera; quæ pœnæ incurruntur ipso facto (Pius IV. Constit. *Romanum* 17. Cal. Novemb. 1564, et S. Pius V. Constit. *Intolerabilis* Cal. Jun. 1569.) Privatio tamen aliorum beneficiorum, cum sit propriè pœna vindicativa, requirit sententiam declarationis criminis. Ceterum mediatores seu procuratores simoniæ confidentialis, cum non exprimentur, non incurrunt excommunicationem reservatam, nisi simul concurrat simonia realis dato et accepto completa, per *cit. Extrav. 2. hoc tit.*

6.^o Pœnas simoniæ in provisione beneficii commissæ probabilius incurrunt etiam illi, qui in permutatione beneficii committunt simoniam juris ecclesiastici; nam jura non distinguunt nec excipiunt, sed volunt pœnis ligari omnes, qui *quomodo libet dando vel recipiendo, simoniam commiserint* (*c. 11. h. t. et cit. Extrav. eod.*)

35. Q. II. *Quomodo per simoniam accepta restituenda sint?*

R. 1.^o In materia beneficii datum et acceptum restitui debet ante omnem sententiam, cum jus impediatur translationem juris (*cap. 11. hoc tit.*) In materia extrabeneficiali spirituali non est restituendum per se, quia licet peccetur contra Religionem, non tamen contra justitiam commutativam. Pretium temporale de jure naturali restitui debet, quia id exigit justitia commutativa: ut si accepisti pecuniam pro re merè spirituali, nullum temporale commodum habente; vel si Episcopus aut parochus aliquid accepit pro iis, quæ aliunde ex justitia face-re debuit. At si res spiritualis habeat commodum temporale adæquans datum pretium, hoc non est restituendum de jure naturali: ut si vendidisti calicem vel jus patronatus suis commodis instructum, dummodò ratione spiritualitatis non sit plus acceptum; nam hoc casu non læditur justitia commutativa: vel si pro ingressu religionis aliquid accipiatur, dummodò acceptum convertatur in bonum communitatis (*Extrav. 1. h. t. int. com.*)

2.^o Attento jure naturali, acceptum simoniæ restitui debet partilæsæ, cum hæc damnificetur, nisi per sententiam judicis adjudicetur Ecclesiæ (*c. 11. hoc tit.*), siquidem emptor rei spiritualis ob tam grave scelus meretur privari pretio dato; ergò judex potest illud adjudicare Ecclesiæ per hoc delictum læsæ, vel etiam pauperibus, ut docet S. D. 2. q. 100. *art. 6. ad 3.* Et hæc procedunt etiam in si-

monia mentali, si quid injustè acceptum sit: secùs, si nulla injustitia commissa sit in facto simoniaco, nihil erit restituendum: quo sensu procedit *c. fin. h. t.*

36. Q. III. *Quis sit iudex in crimine simoniæ?*

R. 1.º Solus ecclesiasticus privativè, etsi simonia commissa sit à laico; nam simoniaca hæresis, sicut vera hæresis, est crimen merè ecclesiasticum: non ex jure civili, sed ex jure div. et Can. judicandum, etiam in quæstione facti, quæ vix unquam separatur à quæstione juris: executio tamen punitiva fieri potest à iudice laico. — 2.º Quilibet accusare et testem agere in hoc delicto potest, etsi aliàs sit inhabilis (*cap. 3. et 7. hoc tit.*) nisi capitalis esset inimicus (*cap. 31. hoc tit.*), vel paganus aut hæreticus. Et quia crimen hoc plerùmque fit occultè, estque difficilis probationis, sufficiunt probationes per signa, conjecturas et alia indicia, præsumptionem vehementem facientia; dummodò indicia ista plenè probentur. Porrò hujus criminis postulari potest dans et recipiens, et is, pro quo sciente, et non contradicente, alius dedit (*c. 8. 23. h. t. etc.*): non verò is, pro quo ignorante datum est (*c. 27. eod.*)

37. Q. IV. *An fieri possit dispensatio in simonia?*

R. 1.º In simonia juris naturalis quoad peccatum nulla valet dispensatio; et ideo etiam Papa, licèt pœnas non incurrat, tamen peccatum simoniæ committere potest; nam simonia est intrinsicè mala, stans sub præcepto negativo, cujus materia in nullis circumstantiis coonestari potest.

2.º Si Papa dispenset, separando jus temporale, v. g. prævendæ aut decimarum, à jure spirituali, dispensatio excusat à peccato; quia tali separatione facta, remanet purum temporale pretio æstimabile: secùs ante separationem res annexæ spirituali sunt de jure naturali invendibiles. — II. Dispensatio et consuetudo in his solùm, quæ jus ecclesiasticum prohibet dare vel accipere, v. g. gratis oblatum post ordinationem, redditus stolæ etc. excusat à pœnis et à peccato: cùm dispensatio et legitima consuetudo relaxare possit jus humanum.

3.º In pœnis simoniæ non dispensat Papa, nisi ex causis gravissimis, quia Ecclesia semper detestata est hoc crimen, utpotè maximè noxium reipublicæ christianæ, ejusque spirituali regimini. Causa dispensandi esse potest gravissimum scandalum, perturbatio reipublicæ et paupertas supplicantis, ut is non tantùm absolvatur à censuris, sed etiam dispensetur in inhabilitate ad idem vel alia beneficia. — II. Si simonia est publica, recurritur ad Datarium cum expressione fructuum perceptorum, pro quibus hodie plerùmque fit transactio, ut tertia vel major pars supplicanti remittatur. Si verò est simonia occulta, recurritur ad sac. Pœnitentiariam, quæ ex Const. S. Pii V. *In sublimi*, dispensat etiam cum scienter simoniacis, dummodò prius beneficium dimittant, et fructus inde perceptos ecclesiæ sui beneficii restituant, aut cum Datario com-

ponant. Si autem neutrum se facere posse allegent, dispensat cum eis, addita clausula, ut fructus restituant Ecclesiæ, cùm primum poterunt. — Hodie attendenda est Const. Ben. XIV. *Pastor bonus*. — III. In executione litterarum observandus est earum tenor: et quidem, si dentur pro foro interno, audita priùs sacramentali confessione, absolutio dabitur à censuris, peccatis et pœnis ecclesiasticis, injuncta pœnitentia salutari, additoque præcepto, ut pœnitens moneat correos, ut ipsi consulant saluti animarum suarum, petendo dispensationem apostolicam. — Vide Corrad. in *Prax. Dispens. lib. 5. cap. 9. et seqq.* Reiff. et alios.

TITULUS IV.

NE PRÆLATI VICES SUAS VEL ECCLESIAS SUB ANNUO SENSU
CONCEDANT. ^a

38. Q. I. *An simonia sit sub annuo censu seu pretio concedere jurisdictionem spiritualem, dignitatibus, officiis et beneficiis annexam?*

R. Affirmativè, ex præsentì *Rubr. et cap. 1. 2. 3. hoc tit.* Trid. *loc. cit.*: nam tali casu venditur spirituale pro pretio temporali locationis. Porrò pœna hujus delicti est, quòd concedens jurisdictionem, pro qualitate delicti, vel suspendatur ab officio, vel deponatur; dans verò pecuniam pro jurisdictione, amittat illam, et à Clero amoveatur (*cap. 1. 2. hoc. tit.*), et uterque excludatur ab Ecclesia, *in cujus contumeliam dare pecuniam et accipere voluerunt* (*cap. 38. de simon.*)

Dices: I. Concessio et remissio jurisdictionis sub annuo censu approbatur (*cap. 30. §. qui vero, de Præb. et cap. 6. de Religios. domib. et cap. fin. hoc. tit. et cap. 21. de Censib.*) — II. Clerici Camerae Apostolicæ et Auditores Rotæ solent vendere suum officium.

R. *Ad I. N. A.* Nam *cit. cap. 30.* agitur de justo stipendio Vicariis debito (*cit. cap. 6.*). Monachi solvunt annum censum in recognitionem prioris subjectionis et in signum gratiosæ exemptionis: *cap. fin.* agitur de locatione ipsorum fructuum materialium: *cap. 21. cit.* cereus trium librarum petitur loco aliorum servitiorum temporalium. — *Ad II.* Dum Papa separat jus ad emolumenta temporalia, hoc licitè venditur, non verò ipsum jus spirituale.

39. Q. II. *An jurisdictio temporalis ab Episcopis et aliis Prælatibus locari possit?*

^a — Agitur de hac materia in Decreto *dist. 89. et 1. q. 3.*, et *Can. fin. 21. q. 2.* — In Trid. *sess. 25. cap. 11. v. non liceat, de reform.* et continuatur hic et in *seq. tit.* materia simoniæ committi solitæ in concessione jurisdict. et licentiæ docendi